

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Na alie quide partes gra
m meruerunt. ipa aute plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oro. Illuc uiga uesse
florida et fructifera maia uir
go uirgissima. de qua uirgo ille
et singularis flos et fructus pro
dit. uirtutu spiritualium germen eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mitens dulcore. flos cuius uoi
tas expellit mesticiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat leticiam
Benedicta uiga de radice uesse:
uirtus et flos: quod de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De receptioe iohannis bap^{te} Ca. iiii

Vit aute in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quida
noie sachaias

de uice abia: et uxor eius noie

quintu ad obseruacia ceremonialium:
sine qrela. quintu ad obseruacia
iudicialium: quod pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter sterilitatem: que est causa
specialis mulieris. Ex quo apparet
deceptio percursoris miraculosa: quod
non fuit tantu per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **T**
Iste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatu fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quod
iacob patriarcha spiritu propheta sig
nu aduentus christi prederent. qui reg
nu iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **T** Et sciendum est hic
quod cum moyses unicum instituisse su
mu sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultu domus domini. de xxiiii fa
miliis que descenderant ab aarone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos tamen unus maior erat et su
mus omnium: qui dicebatur princeps sac
dotu. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sue
singuli castissime student: nec
interi in domum propriam intraret:
sed in domuculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comringus

c. 13. 17. c. XL.

F. III. 6.

DISPUTATIO LOGICA,

De

OPPOSITIONE
PROPOSITIONVM

CONTRADICTORIA,

Quam

DEO OPT. MAX. FORTVNANTE

SVB PRAESIDIO

Reuerendi & Clarissimi viri,

Dn. CONRADI HORNEII

S. S. THEOL. LICENT. ET LO-

GICAE PROF. PVBLCI, PRAECEPTO-

RIS ET FAVORIS SVI AETERNVM

HONORANDI,

IN INCLYTA IVLIA

publico examini subiiciet

JACOBVS VVOLPERZOBER

Goslarieusis.

Ad diem XII. Iulij

In auditorio maiori collegij noui.

HELMAESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI,

Anno clc lcc XXIII.





VIRIS

*Reuerendis, Clarissimis, Excellentissimis, longoq[ue]
rerum vsu præstantissimis,*

Dn. HENRICO IVLIO STRVBIO,
S. S. THEOL. DOCT. ET IN ACAD.
IVLIA PROF. PVBLIC. PASTORI
ITEM ET SUPERINTEN-
DENTI,

Dn. GEORGIO CALIXTO S. S.
THEOL. DOCT. ET PROF. PVB.

Dn. GODFRIDO VOGLERO
ARTIS MEDICAE DOCT. ET
PROFESS. PVBL.

Dn. M. CHRISTOPHORO HEID-
MANO ELOQVENTIAE PROF.
PVBLICO,

*Præceptoribus & fautoribus suis magnis
summaq[ue] animi obseruantia eter-
num honorandis,*

Exercitium hoc academicum in grati
& devoti animi signum dedicat
& offert

AVTOR ET RESPONDENS.



De
OPPOSITIONE PROPOSITIO-
NVM CONTRADICTORIA.

T H E S I S I.

P Rincipium omnis nostræ cog-
nitionis primum simpliciter, certissimum
& notissimum esse, *Idem non posse simul esse*
& *non esse*, non tantum docet Philosophus
4. Metaph. cap. 3. sed Alexander, Philoponus,
Auerroës, lauellus *l. 4. Metaph. quest. 9.* ac

Metaphysici communiter ferè omnes: hoc enim princi-
pium adeò firmum & certum est, vt faciliùs sit à janua do-
mus aberrare, quàm circa istud mentiri contingat. Et ex
hoc principio non solùm conclusiones, sed etiam cætera
aliarum disciplinarum axiomata demonstrantur, non
quidem ostensiuè, sed deductione ad absurdum, vt docet
Suarez *disp. 3. sect. 3. n. 9.*

II. Quemadmodum verò illud principium cognitio-
nis nostræ primum est, sic omnis omnino disputationis
vltimum est, in quod omnia tandem resolvuntur & ter-
minantur, nec ipsum vllâ demonstratione opus habet.
Et profectò non nisi inscitia Logicæ est, omnium re-
rum demonstrationes petere, cum aliqua sine demon-
stratione cognosci oporteat, nisi scientiam cun-
ctam tollere velis, vt contra veteres nonnullos docet A-
rist. *1. post. c. 3.* & repetit. *4. Phys. cap. 3. v. 9.* idem ait *2. Me-
taph. cap. 2. de omnibus demonstrationem esse impossibile est,*

A 3

si qui-

siquidem necesse est ex quibusdam & circa quippiam & quorundam demonstrationem esse.

III. Huc accedit, quod in resolutione primum omnium sit, ut status controversiæ rectè constituatur: proximum deinde ut statui illi rite contradicatur. Non enim semper res nudè tantum explicatur themaq; propositum probatur, sed sapius quoq; refutatur, quod sine contradictione fieri nequaquam potest. Contradictio autem super principio illo fundatur. Unde nec in principio nec in fine resolutionis Logicæ rectè se geret, quisquis naturam contradictionis rectè non intelligit. Nec hoc solum obtinet in rebus Philosophicis, sed in omni omnino materiâ, maximè Theologicâ.

IV. Patet hinc utilitas & necessitas huius doctrinæ. Et profectò cum quanto veritatis commodo coniunctum est, exactè perspectas habere leges contradictionis, cum tanto eiusdem & bonæ disputationis detrimento coniunctum esse oportet, si quis aut oppositiones ipsas inter se rectè distinguere nequeat, aut leges oppositionis uniuscuiusq; accuratè non norit: disputare enim velle, nec rationem contradicendi scire magna est infantia & infamia, dicente Clariss. Cornelio Martino in analysi Formæ, c. 2.

V. In omnibus itaq; omnino disputationibus & certaminibus contradictione solâ & quæ eam æmulatur singularium oppositione, utendum est: quippè quæ tantum inter verum & falsum discernit, quoniam omni caret medio, & sic nullâ ratione fieri potest, ut utraq; propositionum ita oppositarum, vera vel falsa sit. Sanè cætera opposita includunt contradictionem & aliquid addunt, quia nisi unum oppositum supponat non esse aliud, non potest illi alterum opponi; sed quemadmodum rectè respondet Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 14. additum illud nihil-

hilominus non efficit maiorem oppositionem: quin potius minorem reddit, quia arctando illam ad certum genus, tollit illimitatam eius repugnantiam.

VI. Quod verò contradictoria propositio aduersario opponenda sit, non contraria, multò minus subcontraria facillimè probatur: quando enim disputatur, de rei veritate exquiritur, vt illa asseratur, & eius opposita falsitas rejiciatur & refutetur: iam verò, vt ex Logicis constat, nulla oppositio immediatè & perfectè diuidit verum & falsum, & vnã propositionem veram & alteram falsam necessariò ponit, quàm contradictoria.

VII. Certè contrariæ enunciationes simul falsæ esse possunt, vt: *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus*: subcontrariæ autem simul veræ, vt: *Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus*. Quod si igitur hanc propositionem: *Omnis homo est albus*, refutare velis, non fiet ista: *Nullus homo est albus*: quemadmodum nec alteram: *Quidam homo est doctus*, infringes hæc: *Quidam homo non est doctus*, sed necesse est illi quidem opponi hanc contradictoriam *Quidam homo non est albus*, huic autem ista contradicendum, *Nullus homo est doctus*.

IX. Sed antequam vltèrius progrediar, dicendum aliquid mihi est de quæstione, quam nonnulli hîc excitant, cuiusnam sit de contradictione iudicare, an Logici & qui instrumentum cognoscendi tradit, an eius qui ipsas disciplinas.

IX. Sunt qui, nescio quâ religione adducti, censeant, ipsas disciplinas reales, & cum primis Theologiam, maximâ affici iniuriâ, si statuatur, contradictiones in certaminibus Theologicis Logico iudicio subiiciendas esse, cum hoc pacto disciplinarum omnium regina, ipsaq; sapientia diuina, rationis iudicio submitti videatur: *Si enim, aiunt,*

Deus potest facere ea quæ superant intellectum nostrum, utiq; etiam facere potest ea, quæ in nostrâ Logicâ implicant contradictionem.

X. At hi, (pace eorum dicam) quî ita disputant zelum habent sine scientia, & ibi subiectionem ac iniuriam fingunt, ubi nulla est, simulq; id hominis iudicium faciunt, operibusq; divinis opponunt, quod non hominis sed ipsius Dei iudicium ac veritas est, ideoq; divinis non oppositum, sed reuera diuinum est: cum recta ratio non sit aliquod figmentum hominis, sed radius divinæ sapientiæ, à Deo homini concessus.

XI. Et sanè quæstio ista difficultatem tantam non habet, ut opus fuerit distinguere, inter *contradictionem Logicæ divinæ* seu Dei, longè lateq; captum nostrum transcendentis, & *contradictionem Logicæ humanæ* seu hominis: nec vel intelligi potest, quidnam sit illa *Logica divina*, cum Deus ter Opt. Max. nullâ manifestatione veritatis opus habeat, nedum Logicâ, cuius beneficio veritas dubia & latens eruitur inq; lucem protrahitur: imò ut Deus non discurrit: quod tamen proprium munus Logicæ, sed omnia excellenter videt & cognoscit, & ipsi, antequam hæc omnia crearentur, nota erant, ut habetur, *Eccles. 23. v. 29.* ita nec ars Logica aliqua Dei est seu quam Deus v-
surpet.

XII. Quod verò dicunt, *Deum posse ea facere, quæ in Logica nostrâ contradictionem implicant*, illud planè inconsideratum est. Quæ enim reuera contradictionem implicant, (talìa autem sunt quæ Logica pro contradictoriis habet, id est cum idem de eodẽ respectu eiusdem &c. affirmatur ac negatur) ea nec vult Deus facere, nec possunt fieri: *non vult*, quia contradictoria mutuò se mendacij arguunt, ita ut si vtraq; propositio contradicens ponatur vera, v-
traq;

traq; etiã sit falsa. *Non possunt fieri: ea enim fieri, quæ contradictionem implicant, idem est, ac fieri quæ sine mendacio non possunt dici fieri, seu quæ falsum in se est fieri posse.* Qui ergo ea dicit fieri is adserit fieri quæ fieri posse ipse negat, quo ecquid absurdius vel cogitari potest?

XIII. Vnde etiã in disputationibus de potentiã Dei absolutã semper respiciendum Theologi monent ad id, an si alterum concedatur sequatur manifesta contradictio. Si enim ea non sequitur, Deus potest facere; si sequitur Deo illa non sunt tribuenda, non quod ille aliquid facere nequeat, sed quia talia non aliquid sed nihil sunt.

XIV. Adhibita itaq; distinctione, sic rem expedi-
mus, & dicimus aliud esse *judicium de ipsa contradictione in se*, aliud *de veritate huius aut istius propositionis inter contradictorias*. Iudicium *de ipsa contradictione*, cum consistat in cognoscenda ratione contradicendi & dignoscenda forma propositionum, non habetur in Scripturã, nec in ullã aliã disciplinã, sed eius leges sola tradit Logica. Vnde ita argumentor: cuius facultatis sunt leges, iuxta quas iudicium informari debet, illi quoq; iudicium adscribendum. Atqui leges contradictionis veræ seu formalis, sunt facultatis Logicæ. E. iudicium de contradictione formali Logicæ adscribendum est. *Maior* per se certa est. *Minor* ita probatur: sola Logica, ut notum est, docet quid sit affirmatio quid negatio, & in quibus vtraq; consistat; docebit ergo etiã, quæ sit vera affirmationis & negationis contradictoria oppositio, quasvè leges & condiciones requirat. At iudicium, quod de *veritate aut falsitate* propositionum contradictoriarum fertur, puta vtra contradicentium sit vera, vtra falsa; id ad solas disciplinas

plinas reales pertinet. Sic has: *Omnis Emphyteusis est locatio.* *Quaedam emphyteusis non est locatio*, contradictorias iudicat Logicus: sed quando postmodum quæritur, vtra pars sit vera vtra falsa, jurisconsulti id est exponere.

XV. Dicam breviter: quid contradictio sit, quæ eius leges, & quod altera pars semper vera, altera falsa sit, quæ vè propositiones sibi reuera & formaliter contradicant, solus docet Logicus: at vtra illarum vera, vtra falsa sit, hoc ex disciplinâ reali, ad quam propositiones ipsæ pertinent, petendum est. Vbi tamen nota de oppositione duarum propositionum, & vt diximus, formali contradictione nos loqui: nam de contradictione in adiecto, & in vnâ eademq; propositione, alia ratio est, nec est ea nisi materialis quædam contradictio.

XVI. De contradictione autem formali vt rectè & firmiter iudicemus, ante omnia leges ac conditiones eius, quemadmodum à Logicis tradi solent, bene sunt obseruandæ, vt vtraq; pars sit *secundum idem, ad idem, eodem modo siue similiter & in eodem tempore*, & quod à nonnullis additur *in eodem loco*: quando enim vna earum conditionum desideratur contradictio non est.

XVII. Deinde, quia semper contradictoriæ sunt affirmatio & negatio, quarum vna vniuersalis altera particularis vel vtraq; singularis est, ad contradictionem rite formandam & diiudicandam necessarium est, accuratè *qualitates* propositionum obseruare, quænam propositio sit reuera affirmans, quæ negans; & *quantitates*, quæ vniuersalis quæ particularis, quæ in definita, quæ etiam singularis.

XIIX. Vbi diligentissimè notandum, quòd omnis enunciatio considerari possit vel *absolutè* in se, vel *respectiue* ad aliam. *Absolutè* in se consideratur iuxta definitiones, *distin-*

distinctiones ac proprietates, quæ ipsi ab Aristot. in lib. *de*
epim. tribuuntur. *Respectivè* siue ad aliam consideratur,
quum neq; de partibus neq; de qualitate eius quicquam
iudicari potest, nisi ea cum altera, quã respicit conferatur,
quod contingit quando enunciatio sit pars alicuius tertii
totius siue syllogismi. Et ut eo loco constituta, nomen
mutat & *Propositio* seu *πρόταση* Philosopho dicitur: sic et-
iam habitum suum proprium quodammodo mutare pot-
est, & ex negatiua affirmatiua fieri; sicut admodum egre-
giè & satis sufficienter ostendit, & exemplis confirmat
Clariss. Cornelius Martinus in *Analys. Formæ* c. 3. Vnde ali-
ter de affirmatione & negatione propositionum iudican-
dum est in syllogismo & aliter extra syllogismum. Extra
syllogismum quidem absolutè subiecti & prædicati ratio-
nem habemus, in syllogismo non simpliciter hæc atten-
dimus, sed simul & quidem præcipuè quomodo termini
dispositi sint.

XIX. Nec hoc solùm ad qualitatem propositionum
dignoscendam pertinet, sed illud in super, ut cautè dispi-
ciamus, ne in enunciationibus termini priuatiui vel pri-
uatiuorũ naturã habentes cum negatiuis confundantur.
Sic terminus priuatiuus est, *esse cæcum*, negatiuus vero *non*
videre. Quare alia propositio sit necessum est, hæc, *Lapis*
est cæcus, & alia *Lapis non videt*: illa enim priuatiua, hæc
negatiua est. Nam priuatio & negatio maximè differunt,
ut ex Metaphysicis constat; quando quidem priuatio dicit
carentiam formæ in subiecto apto nato, seu priuatio dicit
negationem coarctando illam ad subiectum oppositæ
formæ capax; negatio verò præcisè dicit carentiam sine
subiecti aptitudine, vnde quoq; priuatio propiùs ad Ens
reale accedere videtur quàm negatio.

XX. Propositioni itaq;: *Lapis non est cæcus*, non rectè
B con-

contradictoriè oppones hanc: *Lapis videt*, vtrâq; enim falsa est, cum lapis neq; videat neq; cæcus sit, sed hanc: *Lapis non est cæcus*, quemadmodum etiam alteri rectè oppones hanc: *Lapis videt*. Et profectò si hæc confundas, multò turpius quàm aduersarius tuus procedes, & non solùm inscribendo, sed etiam disputando cespitabis. Hæc de qualitate notanda.

XXI. In quantitate rectè cognoscenda, indefinitæ propositiones à definitis, id est cum quantitatis signo positæ, discernendæ sunt: quanquam enim in materiâ necessariâ, seu quando prædicatum enunciationis vel genus est, vel differentia, vel proprium quarti modi, vel accidens inseparabile, propositio indefinita æquipollet quoad rem & veritatem vniuersali, vt hæc: *Homo est animal*, *Homo est rationalis*, *risibilis* &c. æquipollent vniuersalibus: *Omnis homo est animal*, *Omnis homo est rationalis*, *risibilis* &c. in materia tamen contingenti, seu quando prædicatum est commune idq; separabile accidens, vt *Homo est doctus*, æquipollet tantùm particularibus, nempe huic *Quidam homo est doctus*, Cùm itaq; plerumq; dubium sit, an enunciatio aliquis de materiâ rectè secum statuat: necesse est vt eius mentem ex formâ seu modo enunciandi cognoscamus, ne in contradictione vel nos decipiamus ipsos, vel aduersario affingamus, quod ipsi fortean ne quidem per febrim in mentem venit. Vi formæ igitur indefinita, non æquipollet nisi particulari: hanc enim semper infert, non vniuersalem. Formale autem non est nisi quod semper & perpetuò eâdem ratione se habet.

XXII. Vbi contra Nouatores, qui vt omnia oppugnent, nihil non intentatum relinquunt, sciendum quod omnino particula quantitatem in enunciationibus indicantes, de ipsarum sint essentiâ, efficiantq; alium atq; alium enuncian-

ciandi modum. Vbicunq; autem est alius atq; alius enun-
ciandi modus, ibi quoq; alia atq; alia enunciatio sit neces-
sum est, cum enunciatio nihil aliud sit Logicè consi-dera-
ta, quàm enunciandi modus. Sic alia est enunciatio, quan-
do dico: *Studiosi obtemperant legibus Academicis* & alia: *Omnes
studiosi obtemperant legibus Academicis*, illa enim vera
est, cum hæc tamen dubia sit, & in modo enunciandi
quidem vniuersalitas, in re ipsa verò particularitas.

XXIII. Idem deprehendimus in multis aliis exem-
plis. Sic alius est modus enunciandi, quando dico: *Ho-
mines sunt electi* & alius *Quidam homines sunt electi*, & tan-
dem alius. *Omnes homines sunt electi*. Quando enim indefi-
nitè loquor *Homines sunt electi* neminem habeo oblo-
quentem, quando verò indefinitum hunc enunciandi
modum, in definitum vniuersalem muto & dico: *Omnes ho-
minis sunt electi*, statim rectè mihi contradicitur.

XXIV. Cæterùm in propositionibus definitis, non
solùm debet obseruari signorum quantitas, an nimirum
sint particularia, an vniuersalia, sed in primis etiam situs
sive positus illorum: nec enim quæuis enunciatio signum
vniuersale vel particulare habens, est vniuersalis aut parti-
cularis, sed necessum est, vt signum particulæ categor-
ematicæ subiecti præfigatur, non syncategorematicæ. Sæ-
piùs autem accidit, vt subiectum & prædicatum è pluri-
bus constent vocibus, è quibus vt vna familiam ducit, quæ
categorematica dicitur, ita etiam præcipuè respicitur ne-
glectis syncategorematicis. Sic hæc enunciatio: *Omni-
um civium equi sunt extra portam*, vniuersalis non est, quia si-
gnum vniuersale, non ad vocem categorematicam *equi*,
sed ad syncategorematicam *civium* pertinet.

XXV. Deinde & id attendendum est, signum
vniuersale *Omnis* dupliciter accipi, *collectiuè & distributi-
uè*.

Quando *collectivè* sumitur, tum est pars termini & non facit enunciationem vniuersalem, quia non dicit prædicatum verum vel falsum esse de omnibus inferioribus siue contentis sub vocabulo cui adijcitur, quod videre est in hoc exemplo: *Omnes planetæ sunt septem*: nec enim sensus est, vnumquemq; planetarum septem esse, sed planetas simul sumptos hunc numerum facere. Quando autem eadem vocula *distributiue* sumitur, vt in hac enunciatione: *Omnis homo est animal*, facit enunciationem vniuersalem nec est pars termini vt antè, sed signum propositionis. Et hæc de quantitate tenenda.

XXVI. Tandem & hoc ad rectè formandam & constituendam contradictionem plurimum facit, vt quam diligentissimè inquiramus & seriò advertamus, quænam sit natura, siue conditio illius enunciationis, cui contradici oporteat. Nec enim contradictio in omnibus enunciationum speciebus vno eodemq; modo se habet. Sic aliter pugnant & contradictoriè opponuntur enunciationes simplices de inesse, aliter coniunctæ siue hypotheticæ, aliter exclusivæ & eæ quæ comparationem vel comparandi particulam in se continent, aliter deniq; modales. Quæ omnia si negligenter prætereas, vt iterum verè Cornel. Martinus dicit, ubiq; impinges, nec tam aduersario, quàm tibi ipsi sæpiùs contradices. Sed de his breviter adhuc dicendum.

XXVII. Quod igitur ad contradictoriam oppositionem simplicium enunciationum, quæ ita respectu compositarum dicuntur attinet, ibi *primò* accuratè videndum & examinandum, quænam enunciatio sit affirmatiua quæ negatiua, cum omni affirmationi sua opponatur negatio & omni negationi affirmatio. *Deinde* semper vniuersali affirmatiuæ opponenda est particularis negatiua, vel con-

trã

tra vniuersalis negatiua particulari affirmatiua. Si vero
vniuersali affirmanti opponatur vel potius subiiciatur
particularis affirmans, vel etiam vniuersali neganti par-
ticularis negans, non fit oppositio sed subalternatio pro-
positionum, quam etsi nonnulli inter oppositiones refe-
runt, rectius tamen negatur oppositio esse cum Fonseca
lib. 3. instit. cap. 6. & Combricensi *lib. 1. de interpret. cap. 7.*
q. 1. a. 2. Causa est quod nulla esse potest oppositio propo-
sitionum formalis, vbi non vna earum affirmat & altera ne-
gat. In subalternatione autem longe aliter res se habet.
subalternans enim & subalternata vnā eandemque
qualitatem habent, nec subalternatur affirmanti alia
quā affirmans, aut neganti alia quā negans, vt alibi
docetur.

XXIIX. Hic obseruationem meretur, quod quando
alicui signo vniuersali vel particulari præponitur negati-
o, tum suo æquipollet contradictorio. Sic huius: *Omnis*
homo est iustus, contradictoria est hæc: *Quidam homo non est*
iustus & *Non omnis homo est iustus*. Vide disp. 4. Logic. Dn.
Præsid. *ib. 112.* Si igitur hanc *Non omnis homo est iustus* expli-
care velis, necesse est id facias per istam *Quidam homo non*
est iustus. Similiter hoc valet in particularibus: huic eni-
m *Quidam homo est iustus*, contradicunt illæ *Nullus homo*
est iustus & *Non quidam homo est iustus*.

XXIX. In enunciationibus infinitis obseruanda est
earum qualitas: nulla enim infinitarum negatiua est quæ
copulam non negat, quemadmodum in cæteris: nec om-
nes illæ enunciationes, in quibus particula *Non* reperi-
tur negatiuæ sunt, sed tum demum fit enunciatio negans,
si illa ad copulam pertineat, ibi enim separat prædicatum
à subiecto, & affirmatio, vt Pet. Tataretus *ad 3. cap. 28.* ep-
p. dicit, in communi est cuius copula principalis vel

principalior pars copulae non negatur, & negatio in com-
muni est cuius copula principalis vel principalior pars
copulae negatur.

XXX. Quare in enunciationibus infinitis, quando v-
na particulam negativam copulae non additam habet, op-
ponitur recte altera cuius copula negatur. Sic huic *Omnis
non homo est iustus*, directe opponitur haec: *Quidam non ho-
mo non est iustus*, non haec: *Quidam non homo est non iustus*.
Sic isti *Omnis homo est non iustus*, non opponitur haec: *Qui-
dam homo est iustus*, sed illa *Quidam homo non est non iustus*.

XXXI. Porro in coniunctis etiam, quas vulgo hypo-
theticas vocant, peculiaris ratio est observanda. Vbi sta-
tim notandum coniunctam enunciationem non esse,
cum plures enunciationes per particulam aliquam copu-
laticem connectuntur, sed cum id ita fit, ut illa connexio
inuoluat verum vel falsum; formalis enim ratio omnium
coniunctarum consistit in ipsa coniunctione, qua simpli-
ces coniunguntur, seu id ordine consequutionis vnius ex
alia, seu sine omni consecutione fiat.

XXXII. In compositarum itaq; oppositione quia ea-
rum qualitas in eo consistit, ut ipsa connexio partium af-
firmetur vel negetur, non partes siue simplices enuncia-
tiones negandae sunt, sed ipsa compositio siue coniunctio.
Et hoc inde patet: ut enim in simplicibus nihil nisi copu-
lae negatio efficit negativam enunciationem, sic quoque
in compositis. Quemadmodum igitur in simplicibus e-
nunciationibus copula sine negatione posita connectit
praedicatum cum subiecto & sic affirmatiuam facit; & con-
tra cum negatione antecedente iuncta soluit & separat
praedicatum a subiecto: sic quoq; in compositis particula
connectens duas simplices, quando sine negatione posita
est affirmat & sic vnam compositam affirmantem consti-
tuit,

tuit, contrà verò quando eadem particula negationem præpositam habet, separat enunciationes simplices & sic separando eas negat.

XXXIII. Huic ergo copulatiuæ: *Et mortuus est Christus & ex mortuis resurrexit*, contradictoriè non opponitur ista, *Et mortuus est Christus & non ex mortuis resurrexit*, neq; hæc, *Et mortuus non est Christus & ex mortuis resurrexit*, neq; illa: *Et non mortuus est Christus & non ex mortuis resurrexit*, quandoquidem omnes sunt affirmantes; nulla autem affirmans affirmanti contradictoriè opponitur: quamuis enim resolutæ & in se, vt simplices, consideratæ, vt *Christus non est mortuus*, *Christus ex mortuis non resurrexit*, sint negantes falsæ, tamen hoc ad negationem compositionis nihil facit, sed simpliciter necessarium est, vt copula negetur, hoc modo, *Non & Christus mortuus est & ex mortuis resurrexit* hoc est, non est verum quod Christus & mortuus sit & ex mortuis resurrexerit. Similiter quoq; res sese habet in cæteris. Sic ex disiunctiuis hæ sunt contradictoriæ: *Aut vniuersum hoc à Deo est conditum aut se ipso ab eterno existit*, *Non aut vniuersum hoc à Deo conditum est aut se ipso ab eterno existit*. At ex hypotheticis hæ: *Si secundum carnem vixeritis moriemini*, *Non si secundum carnem vixeritis moriemini*.

XXXIV. Circa comparatiuas enunciationes, quæ ita dicuntur, quòd comparationis notam, vt sunt *magis & minus*, habent, circumspicere etiam agendum est: hæ enim sæpius magnas inuoluunt ambiguitates, quæ statim detegendæ sunt, si eis contradicere velis, & si cum aduersario coram agis, eas ipsi ostendas vrgeasq; vt explicet, in quo sensu enunciationem velit intelligi, vt rectissime iterum Præceptor quondam noster Cornel. Martin. admonet in *Analyf. formæ cap. 2. ad finem*. Quod quando explicatum & distinctè propositum est, tum à nobis resol-

ui &

ui & ipsi commodè contradici potest. Sic huic enuncia-
tioni: *Nullus aleator magis est peccator quam auarus & intem-
perans*, contradicere non potes, nisi prius eam explices,
cum duplicem habeat sensum, primò vt vterq; & aleator
& auarus peccator negetur, hoc modo, sicut aleator non
est peccator ita nec auarus: *deinde vt vterq; peccator affir-
metur*, hoc modo vtrumq; quidem esse peccatorem non
verò aleatorem tam magnum quam auarum. Egregium
huius rei exemplum *loc. cit.* Dn. Cornel. Martinus de lo-
thanne Pico Mirandula adfert, quod ibi videri potest.

XXXV. Similes omnino occurrunt difficultates in
propositionibus exclusiuis, quæ sic dicuntur, quod si-
gnum habent exclusiuum, qualia sunt, *Solus, Vnicus, Pau-
cus, Duntaxat &c.* Has igitur nisi amoueas, reprehensio-
nibus aduersarii fortè inclementioribus te obiicies. Lon-
gè enim aliter explentur exclusiua exclusi subiecti & ex-
clusiua exclusi predicati. Sic hæc: *Solus homo est doctus* ita
debet exponi, & *homo aliquis est doctus & Quicquid non est ho-
mo non est doctum*: hæc verò *Planetae sunt tantum septem*, hunc
habet sensum, *Et Planetae sunt septem & non sunt plures
quam septem*. Vnde diuersa contradicendi ratio oritur:
huic enim *Solus homo est doctus*, contradictoriè opponitur
hæc; *Non solus homo est doctus*, quæ sic exponitur: *Non & homo
est doctus & quicquid non est homo non est doctum*: alteri verò
Planetae sunt tantum septem, quæ hoc quoq; pacto exponenda
est: *non & Planetae sunt septem & non sunt plures quam septem*.

XXXVI. Hic etiam valet quòd enunciatio aliter sese
habeat in respectu, quam si sola ac per se consideratur:
quando enim exclusiua exclusi subiecti negans respicit af-
firmantem, tum oppositam vi formæ simpliciter & con-
tradictoriè negat. Itaq; exclusiua negantes subiecti exclu-
si in oppositione positæ & consideratæ, per affirmatiuam
expli-

explicari, neq; secundum totum neq; secundum partem debent, cum contradictionis vis in multis exemplis tollatur. Quod si vero contrarium aliquando accidat, id vi formæ non fit, sed ob materiæ conditionem, quâ etiam interdum vniuersales affirmantes simpliciter conuertuntur & puri affirmatiui syllogismi in secunda concludunt. At si exclusiua talis negatiua extra oppositionis rationem & sine respectu ad aliam posita, in se consideratur, falsum non esse videtur, quod qui exclusiue dicto modo loquitur, non posset aliter intelligi, quàm quod proposita negans assertio exclusiua, complexu suo affirmantem contineat, idq; propterea quod naturalis nostra cogitatio aliter in hanc non cadat nec cadere possit.

XXXVII. Postremò quod ad Modales enunciationes attinet in ijs bene obseruandum est, ne modi, *Necesse est, Contingit* &c. confundantur cum ipsis partibus enunciationis propriè dictis: Non enim qualibet enunciatio constans dicto & modo est modalis, seu vt Pet. Tataretus in notis ad summulas P. Hispani loquitur, non ideo dicitur modalis, quia in ipsa ponitur modus, sed quia modus determinans compositionem prædicati cum subiecto.

XXXIIX. Longè itaq; aliter de ea iudicatur quando absolutè est posita, & aliter quando fit pars alicuius totius siue conclusio in syllogismo. Modi enim isti in structurâ syllogisticâ positi prædicati rationem habere possunt, & tum non constituunt modalem, quod in hoc videre est exemplo. Sic quando absolutè dico: *Hominem doctum esse contingit*, vera est modalis; quando verò fit conclusio in syllogismo, tum non manet modalis, sed fit de inesse. E. G. *Quod causam non habet necessariam illud contingit siue contingens est, Hominem doctum esse causam habet non necessariam E. hominem doctum esse contingit.* Hic contingit siue

C

CON-

tingens est, est maior terminus, qui semper est prædicatum conclusionis. At in modalibus propositionibus ut tales sunt & protalibus habentur, modus solum est determinatio copulae seu modus afficiens nexum coherentiae prædicati cum subiecto, nequaquam verò prædicatum ipsum. Idem planè dicit Cornel. Martinus *cap. 4. Modus inquit vim habet copulae, etsi enim altera pars enunciationis esse videatur nonnullis, tamen reuera non est, sed copula est.*

XXXIX. Et hoc facilimè probatum datur. Certum est nullam partem enunciationis ter in syllogismo repeti: in quouis enim syllogismo dantur tres termini, quorum medius non nisi bis debet poni ante conclusionem, semel in maiore & semel in minore, non vero tertiâ vice repeti. Medius verò terminus vel subiectum vel prædicatum vel utrumq; est in præmissis, atq; propterea pars propositionis maioris & minoris, termini vero extremi tantum in præmissis semel ponuntur, prædicatum conclusionis tantum in maiore & subiectum in minore. Contrarium verò accidit in Syllogismis ex puris necessariis vel puris contingentibus, vbi idem terminus ter repetitur. Deinde quia omnis pars propositionis in syllogismo aut est medius terminus aut vnus extremorum. Neutrum vero potest dici de modo. Medius enim terminus nunquam fit pars conclusionis, quod tamen modus fieri potest. Præterea in prima figura medius est subiectum maioris nunquam prædicatum. Iam verò si modus tantum est prædicatum, medium terminum constituere nequit in prima figura, multò minus in tertiâ; forsitan igitur in secundâ, sed neq; hoc: Omnis enim syllogismus secundæ figuræ potest ac debet reduci ad primam, talis autem syllogismus secundæ figuræ reduci ad primam nequit, quia medius terminus
nus

ñus, puta prædicatum, mutari nequit in subiectum. Eo-
dem modo demonstratur, quod modus neque maior ne-
que minor terminus esse possit, cum neq; hic neque ille
bis ante conclusionem ponatur. Deinde si modus esset
prædicatum, sequeretur quod nullus daretur syllogismus
modalis in primâ & secundâ figurâ, quia nullus minor
terminus in prima & secunda figura est prædicatum. Sic
quoque non posset fieri syllogismus modalis in tertiâ si
modus esset maior terminus: hic enim æque in maiore
propositione, ut minor in minore, est subiectum.

XL. Vnde patet, modum in propositionibus modali-
bus neq; prædicatum neq; subiectum esse, sed tantum li-
mitationem & determinationem copulæ.

XLI. In modalibus itaq; si oppositio contradictoria
fieri debet, & affirmatiua contradictoriè per negatiuam
tolli, omnino necesse est, ut modus negetur. Vbi tamen
iterum obseruandum, quod aliter sese res hîc habeat,
quando dictum est singulare, aliter verò quando est com-
mune, hoc est in quibus subiectum dicti terminus est
vniuersalis. Quando enim dictum est singulare tum
contradicentes, iuxta Fonsecaam, *l. 3. Inst. c. 11.* sunt quæ
idem habent dictum, sed modus in iis contradicit, ut: *Ne-
cesse est Socratem esse hominem, Non necesse est Socratem esse ho-
minem, Contingit Platonem esse doctum, Non contingit Pla-
tonem esse doctum.* Quando vero dictum commune ha-
bent, tum modus & dictum seorsim considerata sunt,
in contrarijs & subcontrarijs, de quibus nobis iam non
est sermo; contradicentes autem modum contradicen-
tem; & dictum idem habent. Hæc igitur istâ vice
de contradictoriâ oppositione
sufficiant.

94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.

V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-586293-p0023-5



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. Mutans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. Que bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. Que cum gratia plena sit.
prius etiam quam accipiat: post accep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? Unum ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. Que celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. Dicitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non enim
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. Hec etiam sola per
omnes mulieres et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. Cum
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait In dolo par-
es: uirgo maledictioni legis non
erat. maledicta sterilis: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. Unde
ipsa primicia uirginum dum primo
uirginitate sua de obtulit. maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. Et notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginem
salutem potit: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. In quo
uobis singulis dulcissima implen-
tur mysteria. Nam deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inuis ab omni uerbo
tunc uirginem que filia



43

IO LOGICA,
 De
ITIONE
ITIONVM
 DICTORIA,
 Quam
 AX. FORTVNANTE
 RAESIDIO
 Clarissimi viri,
DI HORNEII
ACENT. ET LO-
BUBLICI, PRAECEPTO-
IS SVI AETERNVM
ORANDI,
ITA IVLIA
 amini subiiciet
VOLPERZOBER
 ariensis.
 XII. Julij
 maiori collegij noui.
 MAESTADI,
 IACOBI LUCI,
 MDCXXIII

E/5

